

## NEMESIANUS

## CYNEGETICA (325 vers)

v.1 Venandi cano mille vias ; hilaresque labores  
2 discursuque citos, securi proelia ruris,  
3 pandimus. Aonio jam nunc mihi pectus ab oestro  
4 aestuat : ingentes Helicon jubet ire per agros,  
5 Castaliusque mihi nova pocula fontis alumno  
6 ingerit et late campos metatus apertos  
7 imponitque jugum vati retinetque corymbis  
8 implicitum ducitque per avia, qua sola numquam  
9 trita rotis. Juvat aurato procedere curru  
10 et parere deo : virides en ire per herbas  
11 imperat : intacto premimus vestigia musco ;  
12 et, quamvis cursus ostendat tramite noto  
13 obvia Calliope faciles, insistere prato  
14 complacitum, rudibus qua luceat orbita sulcis.  
15 Nam quis non Nioben numero funere maestam  
16 jam cecinit ? Quis non Semelen ignemque jugalem  
17 letalemque simul novit de paelicis aestu ?  
18 Quis magno recreata tacet cunabula Baccho,  
19 ut pater omnipotens maternos reddere menses  
20 dignatus justis compleret tempora partus ?  
21 Sunt qui sacrilego rorantes sanguine thyrsos  
22 (nota nimis) dixisse velint, qui vincula Dirces  
23 Pisaeique tori legem Danaique cruentum  
24 imperium sponsasque truces sub foedere primo  
25 dulcia funereis mutant gaudia taedis.  
26 Biblidos indictum nulli scelus ; impia Myrrhae  
27 conubia et saevo violatum crimine patrem  
28 novimus, utque Arabum fugiens cum carperet arva  
29 ivit in arboreas frondes animamque virentem.  
30 Sunt qui squamosi referant fera sibila Cadmi  
31 stellatumque oculis custodem virginis ejus  
32 Herculeosque velint semper numerare labores  
33 miratumque rudes se tollere Terea pinnas  
34 post epulas, Philomela, tuas ; sunt ardua mundi  
35 qui male temptantem curru Phaethonta loquantur  
36 extinctasque canant emisso fulmine flammam  
37 fumantemque Padum, Cycnum plumamque senilem  
38 et flentes semper germani funere silvas.  
39 Tantalidum casus et sparsas sanguine mensas  
40 condentemque caput visus Titana Mycenis  
41 horrendasque vices generis dixere priores.  
42 Colchidos iratae sacris imbuta venenis  
43 munera non canimus pulchraeque incendia glauces,  
44 non crinem Nisi, non saevae pocula Circes,  
45 nec nocturna pie curantem busta sororem :  
46 haec jam magnorum praecepit copia vatum,  
47 omnis et antiqui vulgata est fabula saeculi.  
48 Nos saltus viridesque plagas camposque patentes

49 scrutamur totisque citi discurrimus arvis  
 50 et varias cupimus facili cane sumere praedas ;  
 51 nos timidos lepores, imbelles figere dammas  
 52 audacesque lupos, vulpem captare dolosam  
 53 gaudemus ; nos flumineas errare per umbras  
 54 malumus et placidis ichneumona quaerere ripis  
 55 inter harundineas segetes faelemque minacem  
 56 arboris in trunco longis praefigere telis  
 57 implicitumque sinu spinosi corporis erem  
 58 ferre domum ; talique placet dare lintea curae,  
 59 dum non magna ratis, vicinis sueta moveri  
 60 litoribus tutosque sinus percurrere remis,  
 61 nunc primum dat vela notis portusque fideles  
 62 linquit et Adriacas audet temptare procellas.  
 63 Mox vestros meliore lyra memorare triumphos  
 64 accingar, divi fortissima pignora Cari,  
 65 atque canam nostrum geminis sub finibus orbis  
 66 litus et edomitas fraterno numine gentes,  
 67 quae Rhenum Tigrimque bibunt Ararisque remotum  
 68 principium Nilique vident in origine fontem ;  
 69 nec taceam, primum quae nuper bella sub Arcto  
 70 felici, Carine, manu confeceris, ipso  
 71 paene prior genitore deo, utque intima frater  
 72 Persidos et veteres Babylonos ceperit arces,  
 73 ultus Romulei violata cacumina regni ;  
 74 imbellemque fugam referam clausasque pharetras  
 75 Parthorum laxosque arcus et spicula nulla.  
 76 Haec vobis nostrae libabunt carmina Musae,  
 77 cum primum vultus sacros, bona numina terrae,  
 78 contigerit vidisse mihi : jam gaudia vota  
 79 temporis impatiens sensus spretorque morarum  
 80 praesumit videorque mihi jam cernere fratrum  
 81 augustos habitus, Romam clarumque senatum  
 82 et fidos ad bella duces et milite multo  
 83 agmina, quis fortes animat devotio mentes :  
 84 aurea purpureo longe radiantia velo  
 85 signa micant sinuatque truces levis aura dracones.  
 86 Tu modo, quae saltus placidos silvasque pererras,  
 87 Latonae, Phoebe, magnum decus, heia age suetos  
 88 sume habitus arcumque manu pictamque pharetram  
 89 suspende ex umeris ; sint aurea tela, sagittae ;  
 90 candida puniceis aptentur crura cothurnis ;  
 91 sit chlamys aurato multum subtegmine lusa  
 92 corrugesque sinus gemmatis balteus artet  
 93 nexibus ; implicitos cohibe diademate crines.  
 94 Tecum Naiades faciles viridique juvena  
 95 pubentes Dryades Nymphaeaeque, unde amnibus umor,  
 96 adsint, et docilis decantet Oreadas Echo.  
 97 Duc age, diva, tuum frondosa per avia vatem :  
 98 te sequimur, tu pande domos et lustra ferarum.  
 99 Huc igitur mecum, quisquis percussus amore  
 100 venandi damnas lites pavidosque tumultus  
 101 civilesque fugis strepitus bellicae fragores  
 102 nec praedas avido sectaris gurgite ponti.  
 103 Principio tibi cura canum non segnis ab anno  
 104 incipiat primo, cum Janus, temporis auctor,  
 105 pandit inocciduum bis senis mensibus aevum.

106 Elige tunc cursu facilem facilemque recursu,  
107 seu Lacedaemonio natam seu rure Molosso,  
108 non humili de gente canem. Sit cruribus altis,  
109 sit rigidis, multamque trahat sub pectore lato  
110 costarum sub fine decenter prona carinam,  
111 quae sensim rursus sicca se colligat alvo,  
112 renibus ampla satis validis diductaque coxas,  
113 cuique nimis molles fluitent in cursibus aures.  
114 Huic parilem submitte marem, sic omnia magnum,  
115 dum superant vires, dum laeto flore juvenas  
116 corporis et venis primaevae sanguis abundat.  
117 Namque graves morbi subeunt segnisque senectus,  
118 invalidamque dabunt non firmo robore prolem.  
119 Sed diversa magis feturae convenit aetas :  
120 tu bis vicenis plenum jam mensibus acrem  
121 in venerem permittite marem ; sit femina, binos  
122 quae tulerit soles. Haec optima cura jugandis.  
123 Mox cum se bina formarit lampade Phoebe  
124 ex quo passa marem genitalia viscera turgent,  
125 fecundos aperit partus matura gravedo,  
126 continuo largaque vides strepere omnia prole.  
127 Sed, quamvis avidus, primos contemnere partus  
128 malueris ; mox non omnes nutrire minores.  
129 Nam tibi si placitum populosos pascere fetus,  
130 jam macie tenues sucique videbis inanes  
131 pugnantisque diu, quisnam prior ubera lambat,  
132 distrahere invalidam lassato viscere matrem.  
133 Sin vero haec cura est, melior ne forte necetur  
134 abdaturve domo, catulosque probare voluntas,  
135 quis nondum gressus stabiles neque lumina passa  
136 luciferum videre jubat, quae prodidit usus  
137 percipe et intrepidus spectatis annue dictis.  
138 Pondere nam catuli poteris perpendere vires  
139 corporibusque leves gravibus praenosceret cursu.  
140 Quin et flammato ducatur linea longe  
141 circuitu signetque habilem vapor igneus orbem,  
142 impune ut medio possis consistere circo :  
143 huc omnes catuli, huc indiscreta feratur  
144 turba : dabit mater partus examen, honestos  
145 iudicio natos servant trepidoque periculo.  
146 Nam postquam conclusa videt sua germina flammis,  
147 continuo saltu transcendens fervida zonae  
148 vincla, rapit rictu primum portatque cubili,  
149 mox alium, mox deinde alium. Sic conscia mater  
150 segregat egregiam subolem virtutis amore.  
151 Hos igitur genetrice simul jam vere sereno  
152 molli pasce sero (passim nam lactis abundans  
153 tempus adest, albent plenis et ovilia mulctris),  
154 interdumque cibo cererem cum lacte ministra,  
155 fortibus ut sucis teneras complere medullas  
156 possint et validas jam tunc promittere vires.  
157 Sed postquam Phoebus candentem fervidus axem  
158 contigerit tardasque vias Cancricae morantis  
159 sidus init, tunc consuetam minuisse saginam  
160 profuerit tenuesque magis retinere cibatus,  
161 ne gravis articulos depravet pondere moles.  
162 Nam tum membrorum nexus nodosque relaxant

163 infirmosque pedes et crura natantia ponunt,  
164 tunc etiam niveis armantur dentibus ora.  
165 Sed neque conclusos teneas neque vincula collo  
166 impatiens circumdederis noceasque futuris  
167 cursibus imprudens. Catulis nam saepe remotis  
168 aut vexare trabes, laceras aut mandere valvas  
169 mens erit, et teneros torquent conatibus artus  
170 obtunduntve novos arroso robore dentes  
171 aut teneros duris impingunt postibus ungues ;  
172 mox cum jam validis insistere cruribus aetas  
173 passa, quater binos volvens ab origine menses,  
174 illaesis catulos spectaverit undique membris,  
175 tunc rursus miscere sero Cerealia dona  
176 conveniet fortemque dari de frugibus escam.  
177 Libera tunc primum consuescant colla ligari  
178 concordēs et ferre gradus clausique teneri.  
179 Jam cum bis denos Phoebe reparaverit ortus,  
180 incipe non longo catulos producere cursu,  
181 sed parvae vallis spatio septove novali.  
182 His leporem praemitte manu, non viribus aequis  
183 nec cursus virtute parem, sed tarda trahentem  
184 membra, queant jam nunc faciles ut sumere praedas.  
185 Nec semel indulge catulis moderamina cursus,  
186 sed donec validos etiam praevertere suescant  
187 exerceto diu venandi munere, cogens  
188 discere et emeritae laudem virtutis amare.  
189 Nec non consuetae norint hortamina vocis,  
190 seu cursus revocent, jubeant seu tendere cursus.  
191 Quin etiam docti victam contingere praedam  
192 exanimare velint tantum, non carpere sumptam.  
193 Sic tibi veloces catulos reparare memento  
194 semper et in parvos iterum protendere curas.  
195 Nam tristes morbi, scabies et sordida venis  
196 saepe venit multamque canes discrimine nullo  
197 dant stragem : tu sollicitos impende labores  
198 et sortire gregem suffecta prole quotannis.  
199 Quin acidos Bacchi latices Tritonide oliva  
200 admiscere decet catulosque canesque maritas  
201 unguere profuerit tepidoque ostendere soli,  
202 auribus et tineas candenti pellere cultro.  
203 Est etiam canibus rabies, letale periculum.  
204 Quod seu caelesti corrupto sidere manat,  
205 cum segnes radios tristi jaculatur ab aethra  
206 Phoebus et attonito pallens caput exserit orbe ;  
207 seu magis, ignicomi candentia terga Leonis  
208 cum quatit, hoc canibus blandis inviscerat aestus,  
209 exhalat seu terra sinu, seu noxius aer  
210 causa mali, seu cum gelidus non sufficit umor  
211 torrida per venas concrescunt semina flammae :  
212 quicquid id est, imas agitat sub corde medullas  
213 inque feros rictus nigro spumante veneno  
214 prosilit, insanos cogens infigere morsus.  
215 Disce igitur potus medicos curamque salubrem.  
216 Tunc virosa tibi sumes multumque domabis  
217 castorea, attritu silicis lentescere cogens ;  
218 ex ebore huc trito pulvis sectove feratur,  
219 admiscensque diu facies concrescere utrumque :

220 mox lactis liquidos sensim superadde fluores,  
 221 ut non cunctantes haustus infundere cornu  
 222 inserto possis Furiasque repellere tristes  
 223 atque iterum blandas canibus componere mentes.  
 224 Sed non Spartanos tantum tantumve Molossos  
 225 pascendum catulos : divisa Britannia mittit  
 226 veloces nostrique orbis venatibus aptos.  
 227 Nec tibi Pannonicae stirpis temnatur origo,  
 228 nec quorum proles de sanguine manat Hiberno.  
 229 Quin etiam siccae Libyes in finibus acres  
 230 gignuntur catuli, quorum non spreveris usum.  
 231 Quin et Tuscorum non est externa voluptas  
 232 saepe canum. Sit forma illis licet obsita villo  
 233 dissimilesque habeant catulis velocibus artus,  
 234 haud tamen injucunda dabunt tibi munera praedae,  
 235 namque et odorato noscunt vestigia prato  
 236 atque etiam leporum secreta cubilia monstrant.  
 237 Horum animos moresque simul naresque sagaces  
 238 mox referam ; nunc omnis adhuc narranda supellex  
 239 venandi cultusque mihi dicendus equorum.  
 240 Cornipedes igitur lectos det Graecia nobis  
 241 Cappadocumque notas referat generosa propago  
 242 armata et palmas superet grex omnis avorum.  
 243 Illis ampla satis levi sunt aequora dorso  
 244 immodicumque latus parvaeque ingentibus alvi,  
 245 ardua frons auresque agiles capitisque decori  
 246 altus honos oculique vago splendore micantes ;  
 247 plurima se validos cervix resupinat in armos ;  
 248 fumant umentes calida de nare vapores,  
 249 nec pes officium standi tenet, ungula terram  
 250 crebra ferit virtusque artus animosa fatigat.  
 251 Quin etiam gens ampla jacet trans ardua Calpes  
 252 culmina, cornipedum late fecunda proborum.  
 253 Namque valent longos pratis intendere cursus,  
 254 nec minor est illis Graio quam in corpore forma ;  
 255 nec non terribiles spirabile flumen anhelii  
 256 provolvunt flatus et lumina vivida torquent  
 257 hinnitusque cient tremuli frenisque repugnant,  
 258 nec segnes mulcent aures, nec crure quiescunt.  
 259 Sit tibi praeterea sonipes, Maurusia tellus  
 260 quem mittit (modo sit gentili sanguine firmus)  
 261 quemque coloratus Mazax deserta per arva  
 262 pavit et adsiduos docuit tolerare labores.  
 263 Nec pigeat, quod turpe caput, deformis et alvus  
 264 est ollis quodque infrenes, quod liber uterque,  
 265 quodque jubis pronos cervis deverberet armos.  
 266 Nam flecti facilis lascivaque colla secutus  
 267 paret in obsequium lentae moderamine virgae :  
 268 verbera sunt praecepta fugae, sunt verbera freni.  
 269 Quin et promissi spatiosa per aequora campi  
 270 cursibus acquirunt commoto sanguine vires  
 271 paulatimque avidos comites post terga relinquunt.  
 272 Haud secus, effusis Nerei per caerula ventis,  
 273 cum se Threicius Boreas superextulit antro  
 274 stridentique sono vastas exterruit undas,  
 275 omnia turbato cesserunt flamina ponto :  
 276 ipse super fluctus spumanti murmure fervens

277 conspicuum pelago caput eminent : omnis euntem  
278 Nereidum mirata suo stupet aequore turba.  
279 Horum tarda venit longi fiducia cursus,  
280 his etiam emerito vigor est juvenalis in aevo.  
281 Nam quaecumque suis virtus bene floruit annis,  
282 non prius est animo quam corpore passa ruinam.  
283 Pasce igitur sub vere novo farragine molli  
284 cornipedes venamque feri veteresque labores  
285 effluere adspecta nigri cum labe cruoris.  
286 Mox laetae redeunt in pectora fortia vires  
287 et nitidos artus distento robore formant ;  
288 mox sanguis venis melior calet, ire viarum  
289 longa volunt latumque fuga consumere campum.  
290 Inde ubi pubentes calamos duraverit aestas  
291 lactentesque urens herbas siccaverit omnem  
292 messibus umorem culmisque aptarit aristas,  
293 hordea tum paleasque leves praebere memento :  
294 pulvere quin etiam puras discernere fruges  
295 cura sit atque toros manibus percurrere equorum,  
296 gaudeat ut plausu sonipes laetumque relaxet  
297 corpus et altores rapiat per viscera sucos.  
298 Id curent famuli comitumque animosa juvenus.  
299 Nec non et casses idemvenatibus aptos  
300 atque plagas longoque meantia retia tractu  
301 addiscant raris semper contexere nodis  
302 et servare modum maculis linoque tenaci.  
303 Linea quin etiam, magnos circumdare saltus  
304 quae possit volucresque metu concludere praedas,  
305 digerat innexas non una ex alite pinnae.  
306 Namque ursos magnosque sues cervosque fugaces  
307 et vulpes acresque lupos ceu fulgura caeli  
308 terrificant linique vetant transcendere septum.  
309 Has igitur vario semper fucare veneno  
310 curabis niveisque alios miscere colores  
311 alternosque metus subtegmine tendere longo.  
312 Dat tibi pinnarum terrentia milia vultur,  
313 dat Libye, magnarum avium fecunda creatrix,  
314 dantque grues cycnidae senes et candidus anser,  
315 dant quae fluminibus crassisque paludibus errant  
316 pellitosque pedes stagnanti gurgite tingunt.  
317 Hinc mage puniceas nativo munere sumes :  
318 namque illic sine fine greges florentibus alis  
319 invenies avium suaviisque rubescere luto  
320 et sparsos passim tergo vernare colores.  
321 His ita dispositis hiemis sub tempus aquosae  
322 incipe veloces catulos immittere pratis,  
323 incipe cornipedes latos agitare per agros.  
324 Venemur dum mane novum, dum mollia prata  
325 nocturnis calcata feris vestigia servant.